



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Blasphemiae Et Impietates Seditiosaq[ue] dogmata
Ioannis Meynertzhagen pseudo ecclesiastæ apud
Bonnam, ex libello que[m] inscripsit, Des Euangelischen
Bürgers Handtbüchlin. Hoc est, Enchiridion ...**

Erzdiözese Köln

[Köln], [1544]

VD16 K 1773

In Statvm Ecclesiasticvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34979

Quicquid in Ecclesia agitur, præter ea quæ expressim in scriptura continentur, cõten dit esse meram idololatriam, seu superstitionem. fo. 21. fa. 2. & fol. 25. fa. 2. Vbi exemplificat de indictis ieiunijs, ferijs & similibus. Et fo. 27. fa. 2. & fo. seq. appellat huiusmodi Ecclesiasticas constitutiones, *Nenias, Eytel Tandtmher.*

Ridet celebrationem Missarum, continuatas & prolixas preces, peregrinationes, exedificationes temploem, altarium, & turrium, & usum campanarum & luminarium.

Item uotum perpetuæ castitatis, indicta ieiunia, & festa, Monachismum, habitum religiosum, horas Canonicas, recitationem angelicæ salutationis, & omnes orationes æditas ab hominibus quamlibet pijs, quæ non continentur in sacris literis. lib. 2. fol. 45. fa. 2. & 46. fa. prima. Contēnit tēpla & basilicas tanquā non sint domus Dei. li. 2. fo. 71. fa. 1. Contemnit continuatas & prolixiores orationes Iacobitarum, Franciscanorum & Benedictinorum &c. lib. 2. folio 36. facie 1.

Asserit oīa germanice in tēplis esse canenda & legēda. li. 2. fo. 115. fa. 1. Asserit eos esse falsos Prophetas & lupos quæ homines admonent ad legendum aliquid Ecclesijs, Monasterijs seu pijs locis. Vult quoq; iuuentutem non esse inhortandam ad capessendam uitam monasticam, seu ad professionem uitæ religiosæ, libro 2. folio 41. facie 1.

Nō patitur ut quis se a p̄fessione Monachismi uel Dominicanum, uel Franciscanum, uel Benedictinū, uel Bernharditam, seu a p̄fessione uelius regulæ talium Patrū (quos uocat *Alfanzett*) appellet. fo. 56. fa. 1. Hypocriseos eos arguit, qui in Ecclesijs & Monasterijs pro benefactoribus orant.

Ecclesiasticam sepulturam, & Exequias defunctorum, & similia contemnit, & hypocrisim uocat. libro 2. folio 47. fa. 2.

Damnat delectū ciborum ueluti mendaciū. lib. 2. fol. 99. fa. 2. 101. fa. 2.

IN SVMMVM PONTIFICEM.

In hūc ualde inuehitur. fol. 69. fa. 1. A folio 81. fa. 2. usq; ad folium 84. & maxime sub titulo, *Von den versürern vom warenn Chisten glauben*, appellat summum Pontificem hominem peccati, filium perditionis, & Antichristum. Et detestatur Romanam fidem. Et interpretatur seipsum, hoc est, ea quæ superius in hanc sententiam scripsit, competere in summum Pontificem. fol. 90. & 122.

IN STATVM ECCLESIASTICVM.

Hunc mirū in modū insectatur sub titulo, *Von Altar dienern*. fo. 87. In huius Status inuidiam, allegat Christum a diabolo, sacerdotio, & scribis esse tentatum. fo. 61. fa. 2. & 63. fa. 2. Perinde ac si nihil esset passus ab alijs Iudæis seu Gentibus.

Non licet ait Pontifici, Cardinalibus, Episcopis, & omnibus qui se Ecclesiasticos appellant, habere ullum seculare imperium uel regimen, nec licere nostris Episcopis esse Principes: quoniam hoc Christum prohibuisse. lib. 2. fol. 65. fa. 1. & seq. fol. 67. fa. 1. & 109.

Inuehitur mirum in modum in Ecclesiasticos, & traducit Clerum, quod propterea eum persequatur, quod reprehendat antiquos abusus. libro 2. fol. 79. facie 2.

Appellat Clerum Papistas (Bapffler) lib. 2. fol. 95. fa. 2. & peruersos Ecclesiasticos, ac generationem adulteram. lib. 2. fol. 118.

Grauius iniuria afficit Theologos nostros. fol. 94. fa. 2.

Graui iniuria afficit fratres Mendicantes. lib. 2. fol. 92.

IN ANIMADVERTENTES IN PVBLI ce Criminosos & Hæreticos.

Ob crimen quod publice committitur debere proximum tantum admoneri, sed non iudicari, damnari, hæreseos insimulari, excommunicari, uel ab Ecclesia excludi: quod ipse dicit esse tyrannicum. lib. 2. fol. 10. 119. fa. 1. & 50. fa. 1. Et quod in præfractos non sit animaduertendum, libro 2. fol. 51. fac. 2.

Quod hæretici non sint compellendi ad fidem, nec coercendi, lib. 2. fol. 111. & seq. Et quod Prælati hoc facientes sint heresiarchæ, & impij hypocritæ. Imo addit, ne in seditiosos quidem aliter quam per Excommunicationem animaduertendum esse.